

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0036

LOG Titel: Sectio XXX. De Sanguificatione

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XXX.

DE

SANGUIFICATIONE.

§. 444.

Sanguificationis vocem eo sensu hic sumi ut chyli cum sanguine assimilationem, et succedaneae iacturae quam *hic* patitur aequa succedaneam *istius* ope restitutionem denotet, vix monitus opus est.

§. 445.

In eo enim vertitur omnium corporis nostri humorum divisio in ternas classes (§. 4. 5.) *crudorum*, *sanguineorum* et *secretorum*; ut media earum ipsius principis vitalis laticis torrentem complectatur, cui perpetuo tramite numerosi humores secreti detrahuntur, aequali vero perpetuo affluxu ab altera parte per innumeros absorbentis systematis rivulos

tum chylus, tum per lymphatica re-sorbtus humor, accedit.

§. 446.

Cum vero sanguis adeo singularis plane et in suo genere unicus humor sit, cui nullus in universa natura aequalis extet, per se facile intelligitur, variis opus esse adminiculis et mediis, quorum ope heterogenei isti humores adventitii, sanguini ex thoracico ductu accedentes, cum eo subigantur ipsique assimilentur.

§. 447.

Et primo quidem loco huc facere vi-dentur anfractus illi, quos saepius iam diximus, quibus tum lacteae tum lymphatae venae, maxime in meseraicis reliquisque conglobatis glandulis ultiro citroque circumferuntur, simulque magis magisque animali et inquilino quasi con-tagio inficiuntur.

§. 448.

Porro autem considerare oportet, magnam istius lymphae partem, quae

cum intestinali chylo in thoracico ductu mixta subclaviam sinistram intrat, et intimis quasi viscerum aliarumque corporis partium mollium penetralibus haustum, ex ipso sanguine antea secretam, ideoque totam quantam animali iam natura imbutam esse, et facillime procul dubio sanguinis massae, ad quam tantum reddit, iterum admixtam fore.

§. 449.

Tum vero et accedit, de quo supra iam monitum est, latus et quasi stillatius chyli in sanguinem transitus, qui non nisi guttatum per ultimam thoracici ductus valvulam in subclaviam delabitur, ita ut exiguae hae portiunculae eo intimius sanguini admisceri possint.

§. 450.

Sed et ipsa cordis interior structura eo conferre videtur, ut sanguis novo chylo recenter gravidus miris ipsis muscularis pillaribus, quibus cordis ventriculi scatent intime conquassetur et condepsatur.

§. 451.

Magnas etiam pulmonum sanguinem novo chylo donatum excipientium, et respirationis negotii in assimilatione chyli partes esse *) facile patet cogitanti tum stupendam istorum viscerum fabricam vasculosam (§. 140.), tum eorundem perpetuum et aequabilem alternum, dum animam ducimus, motum.

§. 452.

Reliquum denique sanguificationis a maiore per universum corpus sanguinis circulo, et quae eundem iuvant viribus, perficitur, musculari maxime motu etc.

§. 453.

Quanquam autem tantis et tam multifariis adminiculis chyli cum sanguine

*) Et quidem ex CUVIERII sententia praeferim ad chyli in partem sanguinis lymphaticam s. fibrosam, metamorphosin. v. EJ. *Leçons d'anatomie comparée* T. I. pag. 91. T. IV. pag. 304.

cf. etiam THOMSON's *System of Chemistry* T. IV. pag. 497.

et BOSTOCK libro supra ad caput de respiratione, laudato.

382 SECT: XXX. DE SANGUIFICATIONE.

connubio provisum sit, chylo etiam ipsi quoad partes suas constitutivas aliqua cum sanguine intercedere videatur, similitudo: plurimi tamen horarum impendio opus esse vulgo afferitur, antequam chylus lacteo suo colore exutus, purpureo cui destinatus est fluento, intime assimilatus sit; cui asserto probando praeter alia argumenta illo etiam ex pathologia desumto uti solent, quod toties, pluribus post digestionem horis ex vena secta integrum effluxisse chylum observatum fuerit: quale quidem phaenomenon mihi ipsi aliquando oculis usurpare licuit, ubi vero simul nimis luculenter apparuit sanguinem eum inflammatoria ut vulgo audit dispositione, chyli assimilationi inimica laborare, ita ut exinde ad statum sanum circa quem omnis physiologia versatur, vix ullam deduci posse consequiam, persuasum habeam.